



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

118. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

De eadem re. *Ex dictis Bedæ Presbyteri.*

CXVIII. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* Hoc & Apostoli in evangelio fecisse leguntur, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato unguantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur. Non solum Presbyteris, sed, ut Papa Innocentius scribit, etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo in sua aut suorum necessitate unguendo. quod tamen oleum non nisi ab Episcopis licet confici. Nam quod ait *oleo in nomine Domini*, significat oleo in nomine Domini consecrato, vel certè quia etiam cum unguunt infirmum, nomen Domini super eum invocare pariter debent. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Multi propter peccata in animam facta infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Unde Apostolus Corinthiis, quia corpus Domini indignè percipere erant soliti, ait: *Ideo inter vos multi imbecilles & dormiunt multi.* Si ergo infirmi in peccatis sunt, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti. Unde rectè sub-

jungitur : *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.*

De sacra communione. *Vnde suprà.*

CXIX. Postquam infirmus sacra unctio-  
ne fuerit delibutus, statim corpore & sangui-  
ne Domini recreandus est; ut de cujus vita  
corporali desperatur, vivificari in anima aut  
vita mereatur aeterna. Ait enim Dominus: *Qui  
manducat carnem meam & bibit sanguinem  
meum, habet vitam aeternam. Et: Nisi mandu-  
caveritis, non habebitis vitam in vobis.* Proin-  
de sancti canones præcipiunt ut nulli fideli in  
extremis posito communio denegetur.

Ne Presbyter sacram communionem laico  
vel feminæ ad deferendum tradat. *Ex  
Concilio Remensi.*

CXX. Pervenit ad notitiam nostram quòd  
quidam Presbyteri in tantum parvipendant  
divina mysteria ut laico aut feminæ sacrum  
corpus Domini tradant ad deferendum infir-  
mis; & quibus prohibetur ne sacrarium ingre-  
diantur, nec ad altare appropinquent, illis  
sancta sanctorum committuntur. quod quàm  
fit horribile, quàm detestabile, omnium reli-  
gioforum animadvertit prudentia. Igitur in-  
terdicit per omnia synodus ne talis temeraria  
præsumptio ulteriùs fiat, sed omnimodè Pres-  
byter per semetipsum infirmum communicet.  
Quòd si aliter fecerit, gradus sui periculo sub-  
jacebit.

Burchard. lib.  
5. c. 30. &  
Di. 2. de con-  
secr. c. 29.